

eadem strage campos, qua montes replestis. Nolite expectare, dum stantes vos fugiant. Inferenda sunt signa, et vadendum in hostem. •

VI. ORATIO T. MANLI CONSULIS AD T. Manlium filium, qua eum accusat, quod in hostem ipsius injussu pugnavisset.

Ex Lib. VIII, cap. VII.

Quandoquidem tu, Tite Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum, extra ordinem, in hostem pugnasti, et, quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti, meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicae mihi, aut mei meorumque obliviscendum sit: nos potius nostro delicto plectemur, quam respublica tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem cum ingenita caritas liberum, tum specimen istud virtutis, deceptum vana imagine decoris, in te movet. Sed quum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda; ne te quidem, si quid in te sanguinis nostri est, recusare censeam, quin disciplinam militarem, culpa tua prolapsam, poena restituas. I, lictor, deliga ad palum.

VII. ORATIO PACUVII CALAVII, filium a facinore dehortantis.

Ex Lib. XXIII, cap. XI.

Per ego te fili, quaecunque jura liberos jungunt parentibus, precor quaesoque, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. Paucae horae sunt, intra quas jurantes per quidquid deorum est, dextrae dextras jungentes, idem obstrinximus, ut sacratas fide manus, digressi ab colloquio, extemplo in eum armaremus? Surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Hannibale es, ut eam ipsam mensam cruentares hospitis sanguine? Hannibalem pater filio meo potui placare, filium Hannibali non